

AD I. COR. CAP. III.

unde culmen dicitur, *λίθοι τίμιοι* aut *ἐκλεκτοὶ* etiam marmora  
dicuntur, ut ostendit locus *Esaiæ LIV, 11.* collatus cum *1. Paralip:  
XXI, 12.* in Græco, & cum *Josepho.* Vide quæ ad illum locum  
*Esaiæ* diximus. In tabernaculi structura erant aurum, argentum,  
lapides, ligna *Exod: XXV, 4, 5.*

Tale ædificium, quod ex parte, quoad sc: inferiora utpote pa-  
rietes & columnas, regale sit: Ex parte verò quoad superiora, trabes  
nempe ac fastigium sit rusticum ab Apostolo hic fingi cerebri Gro-  
tiani figmentum est monstruosum, ante ipsum in Ecclesia in audi-  
tum. Ex adverso geminam, potius *οικοδομὴν* facit Apostolus su-  
per idem *Θεμέλιον*, quod utrumq; ædificium totum diversum est,  
non ratione architectorum tantum, sed etiam ratione materiae &  
*structurae*, quorum alterum si dicere lubeat Regale ex auro, argento,  
& lapidibus pretiosis totum quoad ima, & summa constructum:  
Alterum verò rusticum ex ligno, fæno & stipulis, quoad univer-  
sam structuram, fundamento impositam, coagmentatum, non  
repugnamus. Quid nam verò per hanc utramq; *οικοδομὴν* desi-  
gnet Apostolus, de eo variant interpretes: utpote quod è Patribus  
quidam de bonis atq; malis actibus hæc accipiant *Orig: Homil:  
VI. in Exodum Hieron. l. II. contra Jovianum Augustinus de Fide  
& operibus l. 16.* qui queritur, hunc locum esse unum ex difficillimis,  
ut & *Chrysostomus, & Theophylactus* in h. l. Pontificii auri, argenti  
& lapidum pretiosorum nomine, monachorum opera. religiosorum  
vota, ut vocant, cœlibatus perpetui, paupertatis spontaneæ, &  
obedienciæ monasticæ, in quibus perfectionem spiritualem con-  
stitunt, elemosynas, horas canonicas, ac alia suorum adinventæ, in-  
telligunt; nomine autem lignorum, fæni & stipularum opera poli-  
tica & æconomica. Quæ verò explicatio nec menti Apostolicæ  
ullatenus congruit, cum de doctrinâ hic agat Apostolus non de vi-  
tâ; nec analogiæ fidei consentanea est. Alii de diversis auditori-  
bus ea accipiunt. Nomine auri, argenti, & pretiosorum lapidum  
auditores ponunt graves & constantes, qui in ardore crucis, & per-  
secutionum non desistunt, sed immoti consistunt. Nomine autem  
lignorum, fæni & stipularum intelligunt tales, qui quidem Evan-  
gelii doctrinam animi quadam alacritate accipiunt; sed persecu-  
tionis

Monstruosum  
ædificium  
Grotii.

Gemina hæc  
*οικοδομὴ.*  
tradita.

Quidnam  
per eam in-  
telligatur?  
Sententiæ  
diversæ

1.

2.

3.